

**Dissertatio medica inauguralis de requisitis bonae nutricis ... / [Johann Sebald Holl].**

**Contributors**

Holl, Johann Sebald, 1670-  
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

[Halae] : Typis Christoph. Andreeae Zeitleri, [1698]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kafzs43>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*AUXILIANTE MEDIATORE SUMMO!*

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

*De*

# REQVISITIS BONÆ NUTRICIS,

*Quam*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
*DOMINO*

**FRIDERICO WILHELMO,**  
ELECTORAT. BRANDENB. HÆREDE, &c. &c.

*Jussu Gratijs & Facultatis Medicæ,*

*Sub PRÆSIDIO*

*Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi & Experientissimi*

**DN. GEORGII ERNESTI STAHL**

Med. D. & P. P. celeberrimi, h. t. Decani Spectabilis,  
*DN. PATRONI AC PROMOTORIS ÆTATEM VENERANDI,*

**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, JURA QVE  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA legitimè capessendi,

*Ad d. XI. Junii M DC XCVIII. horis ante & pomeridianis*  
*Publicæ Eruditorum ventilationi*

*IN AUDITORIO MAJORI*

*proponet*

**JOH. SEBALD HOLL, Hartmansd. Misn.**

*HALÆ,*

**TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, AC. TYP.**

*REVERENDISSIMO, SERENISSIMOQUE  
PRINCIPI AC DOMINO,*

DN.

# **MAURITIO WILHELMO,**


DUCI SAXONIAE, JULIAE, CLIVIÆ ET  
MONTIUM, ANGARIAE ET WESTPHALIÆ,  
POSTULATO ADMINISTRATORI EPISCOPATUS  
NUMBURGENSIS, LANDGRAVIO THURINGIÆ,  
PRINCIPI HENNEBERGICO, COMITI MARCÆ  
ET RAVENSBERGI, DOMINO IN RA-  
VENSTEIN,

**PRINCIPI AC DOMINO SUO GRA-  
TIOSISSIMO,**


Hoc specimen inaugurale  
Subjectissima & humillima devotione consecrat

*devotissimus Servus*

**JOH. SEBALD HOLL.**



## PRÆFATIO.



On dubito fore plerosque, qui hunc meum in tradendis Bonæ Nutricis Requisitis laborem, inutilem omnino judicēt. Nam cùm aptissimum credant illud nutrimentum infantibus in lucem editis, quòd exactè conveniat cum eō, quòd intra uterum spatiō novem mensium educati fuerint, non alia requisita in nutrice exigi docent, quàm ut ipsa illa, quæ per tantum tempus in ventre portaverat ac enutriverat embrionem, natum quoque propriis mammis alat. Nec est quod nihili putas hocce dubium. Quod si enim ingenuè rem fateri haud abnuamus, nullum lac ex conductâ nutrice, utut maximō cum studiō selegerim illam, æquè conveniet ratione texturæ suæ nutrimento in corpore matris suppeditato pueris, quàm quod fluit è matrum maminis. Nihilominus cùm matrum imbecillitas, ægritudinesq; animi ac corporis, vitæ genus, & plura alia contra stent sæpè his earum laudabilibus ausibus, adeò ut omnis labor, ad ritè exornandam hanc spartam ab ipsis, sæpè cum infinitis laboribus ac molestiis, adhibitus, irritus tamen ac frustraneus omnino sit.

Ideo vel in his casibus opus erit de alienâ cogitare  
 Nutrice, ejusq; operam poscere in isthoc charitatis  
 juxta ac necessitatis officio. Hæc vero dūm assero,  
 minimè pessimam istam probo consuetudinem  
 quarundam matrum, quæ sine ullâ causa santicâ  
 impiè satis infantibus suis subducunt proprias mam-  
 mas; ipsas enim contra Dei expressa mandata, &  
 Naturæ benignum institutum valdè peccare, insu-  
 perq; in semetipsas, Rempublicam, & natos summè  
 injurias esse, firmissimè non solum mihi persvasum  
 habeo, sed facile etiam, si modò propositi ratio id  
 admitteret, probare possem. Veruntamen cùm  
 chartarum angustia, quibus includere hanc differ-  
 entiam in animo habeo, haudquam prolixum  
 in his me esse sinat, ipsi labori me absque ulteriori  
 verborum ambage accingo, postquam prius Divi-  
 num Numen imploraverim, velit his meis conati-  
 bus adesse ac præesse suâ benignissimâ assistentiâ.

## §. I.

**N**E videar à limine statim, ut in proverbio dicitur, aber-  
 râsse, & in leges huc usq; in scribendis dissertationibus  
 sanctè observatas, impegiisse, ante omnia', quid *Nutricis*,  
 cuius *Requisita* traditurus sum, nomine mihi veniat, ex-  
 ponendum est. Observo verò accipi vocem hanc à *Catull. Arch.*  
*Epigram. 59. 4. Pro Mamma*, quâ nutritur lactens à lactante ita  
 enim de *Nupti. Pel. & Thet.*

illaq; atq; alia viderunt luce marinas  
 Mortales oculis nudato corpore nymphas  
 Nutricum tenus extantes ex gurgite cano.

Aliis *nutrix*, subintelligendo *Terra*, pro *Seminario* accipitur ju-  
 xta *Budeum*, in quô tenella adhuc *semina* depanguntur & de-  
 ponuntur; Ita enim *Plin. lib. XVII. cap. 10.* omnia ea, sc. *semina*,  
 non statim moris est in sua locari *terra*, sed prius *nutrici* dari,  
 atque

atque in seminariis adolescere, iterumque migrare. *Platonis Lib.*  
*III. de Republ.* *nutrix* est, quæ infantes instituit; hinc idem *Autor*  
*Chironem Achillis* vocat nutritum, ideo quod Medicinam ipsum  
docuerit. At enim neutra harum acceptiomum nostra est, qui po-  
tius sub *nutribus*, eas intelligimus fœminas, quæ recens natos  
infantes *mammis* suis alunt, usque donec robustiores facti, edu-  
cari alimentis solidioribus possunt. Nostratis vocantur, *Am-*  
*men* vel *Gaugammen* / h. e. *altrices*; verbum enim *Ammen* /  
in Saxonia inferiori & Belgia idem significat, ac Latinis *alere*  
aut *pascere*, inde etiam ipsis *Amm*/vel prout alii efferunt *Hanu*/  
*pascuum au*-lit.

## §. II.

Minimè verò hic morosum agam *Criticum*, verbumque hoc  
cribrabo, more quorundam, qui minus Latinum *nutricis* vo-  
bulum clamitant, cùm masculinum sit *nutritor*, unde *nutrix* de-  
scendit, ex eō putant, non aliud nasci posse fœmininum, quam  
*nutritrix*. Sed cùm *Priscianus*, *Terentius*, *Cicero*, *Virgilius*, *Ho-*  
*ratius*, *Ovidius* pluresque alii vocem *nutricis* usurpent, & in aliis  
vocibus concilio mediæ Syllabæ, v. g. dūm dicimus *bobus* pro bo-  
vibus, sàpè fiat, tertio *Medicus* ego, magis de nucleo quam cor-  
tice sim sollicitus, veniam mihi polliceor *nutricis* vocem loco  
*nutritricis* usurpanti.

## §. III.

Sic patet, ni fallor, significatus *nutricis*, adeoque explican-  
dus etiam est titulus *Requisitorum*; paucis. Requiero idem est ac  
postulo, cupio, desidero; adeoque *requisitum* est, quod ad ali-  
quid desideratur vel pertinet. Ista verò, quæ ad aliquid perte-  
nent, pertinent vel *ad esse* ejus, vel *ad bene esse*; priora faciunt  
ad rei *naturam*, posteriora ad rem istam *condecorandam* & ex-  
ornandam. Dūm itaque in animo est, *Requisita Nutricis Bonæ*  
in subsequentibus tradere, dicendum mihi veniet ante omnia de-  
iis conditionibus, quæ ad ipsius Lactationis *efficiam*, adeoque  
absolutè desiderantur, reliqua enim, quæ ad opus hoc ritè & com-  
modè exornandum faciunt, in præsentiarum vel planè non, vel  
obiter saltem, & quasi in parenthesis, attingam.

Inter ea igitur, quæ *absolutè* ad lactationem requiruntur, sunt, ut nutrix *organis, lactis elaborationi & suctioni aptis*, sit debitè instructa; *materiamq; necessariam possideat*, pro lactis elaboratione. Veniant propterea omnium primò ad Examen bina illa globosa, alba & mollia corpora, utriusque pectorali musculo imposita, intùs ex *glandulis conglomeratis*, molli pinguedine cinctis, *tubulisq; lactigerulis exstructa*, ac *papillis* in illorum acuminate parte exornata, quæ unō verbō *Mammæ* vocantur, utpote in quibus, tanquam in laboratoriis elegantissimis à naturā præparatur lac. *Bina* sunt hæc corpora solenniter, sufficiuntque omnino prò tantâ copiâ humoris hujus secernenda, ut infans sufficienter, imò & gemelli, si urgeat necessitas, ipso nutriti possint.

## §. V.

Tantùm autem abest, semper *utramq; mammam* nutrices aptam experiantur fundendo lacti genuino, quin annotatum sit à Lyser. in Obs. 17. Cultro Anatom. annexis: Infantem ex *dextrâ* mamma sugentem lac, semper pessimè se habuisse, secùs si sinistram sollicitaret. Nec única hæc est nostro favens asserto observatio; simile enim quid frequenter in illis nutricibus observare licet, quæ *primâ* vice *mammas* sugendas tradunt infantibus, ante sc. quam *ostia papillarum, tubuliq; lactiferi*, debitè per suctionem ampliantur. Imò frequentius adhuc hoc ipsum annotatur, si forsitan *una* ex *mammis*, vel nuper, vel olim, suppurationem admisit. *Glandulae* enim secretoriæ, juxta ac *tubuli* lac vehentes, consolidatione ineptâ *angustati* vel penitus obstructi, liberum transitum non concedunt fluido huic, unde à *morâ diuturniore*, quam trahere in his locis cogitur, facile posthac contaminatur istud. Quapropter hæ nutrices atro carbone meritò notantur, utpotè quæ penuriâ laborant commodi ab ipsis desiderati.

## §. VI.

Sed pejores longè sunt, quæ penitus istò carent, h. e. quærum *mammæ* nunquam turgescere lacte observantur, qualia subiecta non sparsim solum hinc & inde reperiuntur, sed dantur integræ civitates iniò regiones causario tali defectu laborantes. Nam dum

dùm nobiles matronæ, servientes voluptariæ vitæ, fugiunt incommoda, quæ talis infantum alitura adfert, arescunt tandem & exsiccantur penitus organa lactationi destinata. Et cùm simiarum adinstar cives quoque & privatæ mulieres, nobilium mores etiam atque etiam affectant, fit tandem, ut ad *filias* earum, & *neptes*, mammarum isthoc transplantetur vitium, & apud omnes penè lactationis impotentia abeat in naturam, haud absimili ratione ac *macrocephalorum* ab Hippocrate commemoratorum, & pedum acuminatorum apud *Chinenes* fœminas, & *Hispanas*, quæ primitus artificiosis *fasciis*, partibus his injectis, ab avis & proavis magnò labore conciliabantur, in posteris autem à naturâ errante producuntur, conf. *Pechl. Obs. Physico-Medicarum* pag. 107. Nam quid aliud efficiet puellarum quarundam continua & arcta mammarum papillarumque *constrictio*, à teneris unguiculis pro conciliandâ & conservandâ corporis gracilitate, per thoraces balenatos facta, quam quod ad molem debitam exsurgere haud possint mammæ, sed coalescant potius *tubuli* interni ab hâc externâ causâ.

### §. VII.

Mittamus proinde & has, quibus natura necessarium hunc ad lactis genesin apparatus planè denegavit, operam eniū omnem oleumque, ut in proverbio est, in emendandis his vitiis, perdes certò, cùm impotentia hæcce, quæ olim arbitrii res erat, nunc facta sit *necessitatis*. Ast difficile innotescit hoc illorum vitium a priori, cum debitâ magnitudine mammæ hujusmodi inertes subindè appareant, Nihilo seciūs *graciles*, *depresso*, planèque extenuatæ visuntur frequentiūs, ita ut à *virorum* mamillis vix quicquam differant. Cautè tamen hic procedendum, nec temerè ex solâ *gracilitate* mammarum, rejiciendæ à lactatione sunt fœminæ; cùm in subjectis *junioribus*, & quæ primâ vice hanc spartam ornant, solâ *suctione* humorum affluxus concitetur, cum tantò augmentò & intumescentiâ harum partium de die in diem, ut inopes has in mammis, brevi post egregiè cernamus *mammatas*.

### §. VIII.

Quod si igitur usque adèò judicanda est, ex collum horum lacti

lactifluorum facie externâ , ad lactandum habitudo , magis erit suspecta nimia & insignis illorum moles. Paradoxum hoc videbitur, cùm communiter ex amplitudine officinarum commodè in iis opera posse perfici suspicemur: Insuperque frequenti observatione constet, obefulas fœminas longè majorem reddere copiam lactis præ gracilibus, quod à Conring. in suô *de Læte Tractatu* annotatum quoque video. Veruntamen his non obstantibus manet sententia inconcussa , stat enim à partibus meis tam *Ratio*, quam *Experientia*. Ratio est, quod quò ampliores sint mammæ, eò magis à pinguedine, glandulis & tubulis lactiferis circumpositæ, arctentur, eoque impediatur lactatio. *Experientia* tamen tām frequens est, ut non *lippis*, & *tonsoribus* sed *obstetricibus* quoque & *aniculis* clinicis, haud incognitus sit iste effectus. Nec obstant, quæ in contrarium adducebantur obefulæ, nam facile totum hoc concedere possumus argumentum salvâ manente thesi, cùm *obefulas* inter, & quæ prægrandibus mammis ornatae sunt, differentia intercedat notabilis.

## §. IX.

Pergo igitur ad reliqua accidentia mammarum , circa figuram, colorem & faciem externam. Ubi notetur, non probandas esse mammas flaccidas & pendulas in nutricibus ; indicant enim vel penuriam lactis , à cuius affluxu sufficienti ad *rigescientiam* usque facile infarciri alias solent: vel suspicionem movent de deficientibus *viribus* naturalibus , seu Tonicō robore: hinc *aniculas* solenniter, & subindè juvenculas *morbosas*, aut quibus morbus gravis saltim imminet, *pendulis* incedere mammis, annotatur. Sunt tamen & quædam fœminæ, quæ tali vitio à primâ conformatione laborant, quale quid de *Mauris* & *Americanis* quibusdam fœmellis referunt, qui regionum istarum naturalem historiam literarum monumentis consignarunt. Verūm enim verò rarissimè nostris in oris deprehendimus tales , quare etiam nobis haud facilè scrupulum movebunt. Omni proin tempore præferendæ sunt *mammæ dure & carnosæ, mollibus nimium & pensilibus*, i mprimis si pectori nutricis *amplio* insideant, ut potè in quibus lactis præparatio

tio & elaboratio felicius longè absolvitur, quām in illis, quibus thorax *angustus*, acuminatus aut depresso, cernitur.

### §. X.

Sequitur nunc *color* mammarum, quem quidam Medicorum postulant *album*, venis cœruleis ornatum, talesque reliquis omnibus præferendas esse putant. Verum tamen, utut hæ circumstan-  
tiæ indicent *cutis* nitorem, & per consequens *formositatem* nutri-  
cis; non tamen semper ea index est infallibilis boni *lactis*, nec  
versâ vice, mammæ, quæ sub *fusco*, aut *livido* plus minus colore  
apparent quo ad cutim, ineptæ proptereà erunt ad officia! quid  
enim expectandum esset ab *aethiopicis* fœminis, & quas climatis vi-  
tium, vel aëris solisque importunus attacitus, cute investit sæpè sa-  
tis atricante, aut saltim flavâ.

### §. XI.

Non prætereunda est hâc occasione textura mammarum no- *Textrusa Mam-  
dosa* & *tuberculis* diversis obsita, in quibusdam fœminis se offe- *nodosa* et *tube-  
rens*, quæ vitia dūm *glandulas* mammarias obstructas, aut alio *obriva*.  
quopiam mālo laborantes, indicant, è consortio *bonarum* nutricum,  
eō ipsō exturbant has. Non enim credibile est, transcolationem  
*lactis* futuram laudabilem, si organa vel inspissatō mucō vel aliâ  
quādam fœculentâ & tartareâ materiâ, fuerint infarcta. Potius  
metuendum est, ex corruptis humoribus, *suctione* infantis pede-  
dentim elicitis, noxam mortemque pusionibus accessuram. Nec  
tandem probare possum *mammas cicatricibus* horridas. Esto  
enim laudis signa eæ sint in facie & pectore viri, minimè tamen in  
fœminis eæ probari possunt, subtūs enim olim latuisse *ulcera* ex  
ipsis colligi potest, adeoque non debitè amplius esse constitutam  
internam conformationem earum, clare satis innotescet: hinc metu-  
endum, *lac* intùs generari non adeò *laudabile*.

### §. XII.

His proinde probè perpensis, inspicere nunc licebit *papillas*  
seu prominentias istas tubulosas & cribriformes, quæ in *acuminatâ*  
mammarum parte positæ, *lactifera* vasa à glandulis mammariis  
prodeuntia, admittunt, quæque infantibus inserviunt, ut per illas  
ore arreptas, *suctu* clixi valeat sapidum hoc contentum. Etenim

in his quoque reperitur haud raro aliquid, quod ineptas reddit fœminas ad *Lactationis* officium. Quod si enim illæ nimium protuberent *amplitudinem*, insignem posideant, angusto tenellulorum ore apprehendi, aut saltim diutius fugi nequeunt. Cumque insuper hujusmodi papillarum *turgescentia* rarisimè statim à principio lactationis adfit, sed demùm ex longâ illarum sollicitatione fiat, lactis *etatem*, ac consistentiam crassam non malè ex ipsis quoque suspicamur. Nec aliter ex oppositæ magnitudinis papillis h. e. nimium *parvis* & *latitantibus* judicandum est; nam vel penitus non apprehendit illas lactens, aut, non sine notabili indignatione, mox rursum amittit, quamvis in his, præprimis si *primiparae* fuerint nutrices, spes adhuc supersit, instrumentis convenientibus, hinc inde à Medicis descriptis, aut suctione continuatâ, illas tandem augmentum & magnitudinem necessariam acquisituras. Imò & paullum *majoribus* papillis, assuefieri temporis tractu infantes posse, quotidiana discimus experientia.

## §. XIII.

Sed sunt quoque, qui ad *colorem eminentiarum* harum attenderent jubent; quod si enim ea non eleganter *ruberæ*, aut saltim ex *rubro pallidae* cernantur, morbosam esse nutriculam, pronuntiant, citantes in fidem hujus *Hippocrat. Popular. Sect. V. & Wedel. Phys. Sect. III. cap. 23.* Neutiquam tamen perpetuae veritatis regulam esse puto, cum ab *etate, vitæ genere ac temperamento* nutricum, nec non ab infante *fortius* nunc, nunc *blandius* fugente, aliisque infinitis circumstantiis, etiam in perfectè *sanis*, mutationes colorum notabiles admittant *papillæ*; hinc *ruber* earum color, unà cum aliis signis equidem notam esse bonæ nutricis, admitto: sed versâ vice aliam ejus faciem, quam hanc, sufficiens dare signum, eas lactationis munus non ritè ornaturas, minimè credo.

## §. XIV.

*i. bonitatis notæ.* Pergo nunc, his præmissis, ad *lactis* ipsius *bonitatis* notas. Minimè enim omne fluidum, quod ex his scatebris propullulat, aptum ad infantis alituram esse, quin statim ac tantillum à regulis *naturæ*, vel in *quantitate*, vel in *qualitate*, istud recedat, ipsam nutricem *culpabilem* reddat. Clarius quô hæc pateant, veniat sub *examinis*

examinis incudem, primò ejus *quantitas imminuta* & deficiens; ubi nimirum tanta lactis *copia* haud suggeritur, quanta, ut satisfiat *fami* & *siti* tenelluli, aliàs requiritur. Ne tamen in dicendā de *lacte imminutō* sententia nimis forsan videamur *rigorosi*, in son-tesque nutrices aliquandò repudiemus, signa ejus satis certa habe-bimus, si infans, licet satis diu pependerit de mammis, *satiatus* ta-men haud quaquàm sit, sed ejulatum importunum usque edat, donec aliud quodcumque *alimentum* aut *potulentum* ipsi fuerit in-gestum. Quod si verò à priori addiscere hoc vitium velis, mam-mæ semper exsuccæ, flaccide & pendule id tibi in his dabunt. Nec patiaris te decipi ab egressu aliqualis copiæ lactis, quàm mam-marum *compressione* aut mulctu sibi astutæ hujusmodi fœminæ conciliare solent, de *inopiam* lactis suspectæ. Utut enim à tali mam-marum compressione sàpè lac erumpere cernatur, cum *saltu*, aut effluat ad aliquam quantitatem, nil tamen præterea, & sàpè ne gut-tula quidem intùs insuper latitat, sed penitus exhausti ac siccati isti sunt fontes. Unde ad perspiciendam hanc farraginem, bonam quan-titatem lactis ut mox unâ vice emulgeat, jubeatur.

## §. XV.

Præterea observandum quoque est in determinandā *insuffici-entia* lactis, num illa nutrici accidat circa *lactationis initium*; quô in casu, animus non penitus abjiciendus est, cùm viæ tum temporis adhuc *angustiores*, & infans nimiùm *debilis*, nondumque exerci-tatus in suctione fuerit: modò etenim ille strenuè sollicitet fontes hos, ita temporis tractu dilatabuntur *tubuli* & *canales* lac ducen-tes, ut *copia* posthac necessaria, facile prodeat. Quod si autem *extra* hoc tempus exsucci videantur, magis suspecta erit ista nutrix. Inquirendum tamen & tunc venit, nùm penuria *alimentorum*, in specie verò potûs, aut infantis *infatiabilitas* culpam habeat, nùm verò *morbus* aliquis adsit aut immineat, *chylificationem* impediens. Quod ultimum penè solenniter in *mammis*, ex *lacte* prius observa-tur, quàm ulla alia in parte. In *tribus* siquidem prioribus cas-i-bus, succurri adhuc potest malo, vel *copiosioribus* aut *evachymis* ali-mentis infantis simul oblati; ast in reliquis, non tuta erit fides, cùm

nil facilius contingat, quam ut *morbificam* materiam insens fugat pugio.

### §. XVI.

Sequitur lactis abundantis consideratio. Rarissim equidem eā de causā nutrices repudiari facile admitto, cum juxta vulgi opinionem, *excellētia* & prærogativa illarum potius probetur inde. Liceat nihilominus mihi id afferere, & has non minus quam priores haud possidere omnes *bonitatis* notas: nam aut *debilis* est latēns, aut *robustus*; si *debilis*, non deplebit aut *exhauriet* mammae, sed semper *copia* lactis remanebit in illis, quæ posthac ex *mora* diuturniori congrumatur, *vappescit* & corruptitur, adeò, ut in subsequentibus suctionibus, non nisi admodum *vitiatum* eliciatur; quod si verò *robur* majus adsit in infante, tum majorem quam par est luxuriantis hujus fluidi *copiam* ingurgitat, unde interdum subitanæ, & non raro lethales *epilepsie*, *suffocationes*, aliique gravissimi morbi posthac nascuntur certò certius, nisi superfluum istud sagacis naturæ beneficio brevi post *vomitū* iterum ejiciatur, uti rectè id annotavit illustris Autor *Medicinæ mentis & corporis*. Quapropter ad abundantiam hanc lactis quodammodo imminuendam, tenuis diæta, & evacuantia, imprimis dein *Venæ Sectio vel Scarificatio*, in pedibus adornanda, & pro impediundâ corruptione lactis in mammis stagnantis, ut *emulgeatur* istud vel alio adhibito apparatu depleatur, suadendum est serio.

### §. XVII.

Imò verò abundantis nimium Lactis *depletio* crebra, non solius corruptionis præcavendæ gratiâ, institui debet; Sed omnino propter aliud incommodum, *novis* Nutricibus valdè familiare, quod *D. Praeses* in Illustrissimorum Infantium Nutricibus, aliquoties deprehendit. Hæ, è rebus tenuioribus quidem venientes, interim bene *sane*, & infantes *robustos* & *semestres* plus minus, hactenus alentes, scatebant perpetuò Lacte, & affluebant. Cum verò ea communiter sit superstitione, ut mulierculæ quæ aularum nidores sectantur, pro inquinamento ferè habeant, si Nutricis infans, ubi semel illustris puerulus mammam arripuit, eandem ulterius attingat; Fit inde ordinariè, ut *insufficiente* illa Evacuatione,

quam

quam tener recens natus infans, præ anteceffore suo robusto & quadrato, perpetrat, restitatio residui, & inde, in robustis atque sanis fœminis, regurgitatio & Palindrome sequatur, ut fortè tertio aut quarto die, omne Lac perfectè evanescat, & siccæ hæreant Mammæ. Quod quidem, licet fatuæ maleficio invidarum cum ejulatu adscribant, reverà tamen non nisi dictam habet causam: Adeò ut Fœminæ lactantes, si ablactato, aut mortuo infante, lac discussum cupiant, vix meliore methodo scopum suum assequi valeant.

## §. XIIIX.

His itaque absolutis, devolvimur ad considerandas *qualitates lactis* genuini, quæ sunt, ut habeat in se debitam *consistentiam*, naturalemque *colorem*, *saporem* & *odorem*. Cùm autem omnium sæpiissimè ex *inspectione* lactis, de ejus & per consequens quoque *nutricis bonitate*, cogamur pronuntiare, meritò fusius signa ista pendenda erunt. Faciam hinc initium à *consistentia*, ad quam dijudicandam suadet *Oribasius*, ut portioni ejus è mammis expressæ, aliquid *coaguli* vulgaris admisceatur; quod si enim major pars serii facessat, *minima* sub forma *casei* relicta, debitam exin *consistentiam* concludendam esse: secùs si contrarium contigerit. Aliud signum suggerit *Aëtius*, nempè ut *filum sericeum* aut *cannabinum* lacti immergeatur, & observetur, num æqualiter lateribus ejus, num verò *glutinis* ad instar adhæreat, vel nùm omne mox rursùm delabatur, prius enim *consistentiæ debita*, alterum lactis nimùm *spissi*, & tertium *excessivè* tenuis erit signum. Alii jubent, ut guttula lactis vel *dorso unguis*, vel *vitri* aut *patinæ* convexitati, imponatur, nam si tunc intra *terminos* proprios, & quidem firmiter maneat, utut invertantur aut inclinentur unguis vel vasa dicta, nimis *spissa* erit *consistentia*; si verò *diffluat* celeriter, *oppositum* aderit vitium: quando verò *pedentim* locum suum priorem deserit, laudabilis erit ejus compages.

## §. XIX.

Insuper tamen ipsius lactis, si mili ià loqui licet, etas, de ejus *consistentiâ* suspicionem movere potest. Semper enim in nutricibus, quæ non multum retro matres sunt factæ, *consistentia* ma-

gis fluida, & è contrario, *crassa*, observatur, si jam per aliquot menses aut annos officio tali præfuerint. Deinde *alimentum*, quô utuntur nutrices, ejusque *copia*, signa quoque dabunt *consistentiæ* ex in oriundæ lactis. *Evpepta* enim, largâ manu ingesta, uti sunt *juscula*, *pulmenta* ex farinâ triticeâ aut *secalina*, *milio*, *oryza*, *lacte*, *ovis*, aliaque hujus generis edulia, potus verò *parcior* aut *crassior*, uti sunt plures *cerevisiæ* lupulatæ, assumtus, in nutrice *sani* certò generabit *chylum*, & per consequens etiam *lac*, *crassum*; sicuti ex opposito, *difficilioris* aut nullius chylificationis *alimenta*, vel quæ non sufficienter *gelatinosas* aut *butyraceas* in se habeant partes, cum potu multo tenui assumta, ut *chylum*, ita *lac tenue* & *fluidum* dabunt.

## §. XX.

*Colorem* lactis quod concernit; ejus *candor* naturalis cunctis est notus, ita ut etiam ab illo quædam *albedinis* Classis, *lactea* dicatur. Velim tamen id notetur, ut in quam plurimis *brutis*, *domesticis* non minùs quàm feris, imprimis tamen in *bubulo*, *caprillo*, ac *ovillo* lacte, se se talis *albisima* facies offerat, tamen in *humano* non semper, imò rariùs, adest, utpotè quod potius ad *luteum* & *cæsum* inclinat solenniter. Tali proinde sub palliō, si se offerat *Lac*, nil planè alit monstri. Veruntamen si insigniter *flavescat*, si *nigricet*, *viridescat*, *rubrum*, vel *saphirinum* colorem, in se ostendat, procul discedant ac removeantur penitus nutritiæ istæ, cùm nil sit certius, quàm quod integra haud sit textura lactis hujusmodi, sed ex maximè corruptis humoribus talem promanasse. Subinde tamen, licet rarissimè, ex *alimentis* aut *medicamentis*, *colore* notabili imbutis, mutuo sumit illos colores *lac*, quale quid de *rhabarbaro*, & *vino* supra cerasa recentia infuso M. N. C. Dec. II. A. VI. pag. 27. testantur. Unde tunc demum ferendum hoc est judicium, quando *diu* colorem hujusmodi retinet atque servat.

## §. XXI.

*Sapor* lactis in naturali statu gratus admodum est, palatoque tenellulorum maximè arridens, hinc vulgò de rebus *sapidis* dicitur: *Es schmeckt so gut wie Mutter-Milch.* Ergò lac genuinum non su ggerunt nutrices, quod degustatum vel *false dinem* notabili-

lem,

lem, instar sc. *salis culinaris*, vel *acido-salsum*, *austerum*, *amari-cantem*, aut quemcunque alium, vel *simplicem*, aut magis *mixtum*, in lingua relinquat saporem. Nam si tale misellis vel *insciè*, aut *consultò* exhibetur, proh Deum! quibus & quam diris non exponuntur subito affectibus, cum hostilia admodum & tantum non exitiosa sint quæcunque *salia acria*, tenellulis his corporibus; ita ut nec levem ejus attactum, nisi gravissime, ferant. Si forsan dubitas, provoco ad *Salia volatilia*, quorum una sc. vel altera tantum gutta, tali tenello subjecto exhibita, miras faciei contorsiones & penè totius generis nervosi irregulares motiones conciliare apta est, si minus diluta, respirationi officiant, & palatum infantis gravius feriant. Provoco etiam ad *aphthas*, *tormina ventris*, *Epilepsiam*, *alvi fluxus*, *intertriginem*, *crustam lacteam*, mictum acerri-mum, partes proximas excoriantem, aliasque infantiles morbos, quibus brevi post tale *lac vitiatum* assumptum, etiam à Cibis nimis salitis nunc & tunc solum nascentes, implicantur, mireque torquentur.

## §. XXII.

Tandem quod lactis odorem attinet, genuinus omnium consensu est, rectusque si nullus fuerit. Sunt equidem quidam emunctioris & excellentioris naris, qui suum *specificumq;* odorem lacti inesse afferant, & memini me à quoddam virō fide dignō, audisse, antè aliquot lustra sibi notum fuisse *villicum*, qui *naribus*, admoto lacte, non solum *caprillum*, ab *ovillo*, ac *bubulo*, secernere, sed quod penè supra fidem aut saltim naturales vires videtur, anima-lis quoque *colorē* poterat determinare. Facile itaque & huic fuisset, *morbosum lac* à laudabili distinguere. At enim verò cùm excellentiam hujusmodi non omnibus inesse voluerit *naribus*. Summus Rerum Conditor, satis erit, si olfactus organo saltim *notabiles* distinguamus *anomalias*, odoris ratione in lacte occurrentes, uti sunt si spiret *acidi* quid, aut *putridi*, planeque *cœnosi*, quod sàpè notatur post moram aliqualem in *mammis*. Etenim absolutè est impossibile, ut fluidum hoc, ex partibus adeò diversis, *pinguibus* sc. seu *butyraceis*, *salinis*, *aqueis caseosisq;* compositum, sustinere diutiùs digestionem poshit, quin ex actione *salium* in *sulphura*, *odores*

*odores exsurgent diversi, fluidumque isthoc totaliter tandem invertatur & destruatur.* Non igitur miror ulterius, si lac è mamma *inflammata*, aut saltim ex *tumidâ*, aut *nodis* hinc inde *obsitâ*, infantes sugere detrectent, sæpè enim tām *acidus* aut aliud insuetus odor tūm inest, ut etiam mulierum *suctricum nares* satis alias obesæ, illum ferre haud valeant. Nec absonum est, profundius, h. e. in visceribus latitante fomite mali, peregrinum quendam *odorem lacti* communicari posse, cùm mihi constet, ex relatione Medici cuiusdam in *Phtisica*, aliaq; quæ inveterato *uteri rheumatismo* laborabant, lac *fætore putri laginoso* exactè simili fuisse imbutum, qualem *sordes* ab his *excretæ spirabant*. Et quæso quid notius est, quām odores *alimentorum lacti* imprimi: si dubitas admove, quæso, tale naribus recens mulctum quod dedit vacca *allavia*, vel *ursino allio* aliquandiu nutrita, & si torpidus non planè tibi fuerit odoratus, *alliatas* quasdam exhalationes nares tuas verberare annotabis. Ut igitur concludam, nutrices, quarum maminæ lac præparant, *fætore*, alioque quocunque odore peregrino imbutum, sint suspectæ, removeanturque ab hoc officio, si præprimis ex *viscerum læsionibus*, & diuturnâ morâ in mammis, pravam hanc dispositionem esse natam constet. Mitius vero tractentur, i. e. saltim *suspendantur à lactatione* ad tempus, quæ ex *errore in diæta*, immunitarunt *odorem ejus*.

## §. XXIII.

Sic, ni fallor, satis hic usque exposita sunt illa requisita nutricis, quæ tām in *organis lactis elaborationis*, quām in ipso *producto*, sensibus nostris sunt obvia, Licet autem satis sint declarata omnia tamen plurima latitant adhuc æquè, imò magis necessaria, sensibus nostris externis minus nota; adeò, ut etiam si quis lynceus planè foret, non tamen posset per cuncta examina circā consistentiam, saporem, colorem & odorem adhibita, labem comprehendere sæpè maximam in lacte latitantem. Multa enim adhuc sunt, quæ insensibiliter miscelam ejus naturalem corruptunt, ad eoque in diversos morbos præcipitant pusiones tenellulos, aut mortales saltim & animum illorum egregiè corruptunt.

## §. XXIV.

Spirituum enim & fermentorum spirituascentium, in lacte nutricum latitantium, vitia, adoptione in hæreditatem tenellulis cedere dudum conquesti sunt plures antiquorum & recentiorum, tam Medicorum quam Philosophorum. Non adducam probations loco Romulum & Remum à lupa, Jovem à caprâ, Cyrum majorē à cane, Telephium, Herculis filium, à cerva, Alexandrum Priami ab ursa, Peliam Neptuni filium ab equâ educatos, mores post-hac bestiis his satis exactè conformes, possedisse, uti referunt *Ælian*us Rar. Histor. Lib. XII. cap. 42. *Jul. Cæs. Baricell.* in Hortul. Genial. pag. 268. *Philipp. Camer. Hor. Subcisi.* Cent. I. cap. 75. Novi enim à quibusdam negari hos enutritos fuisse à bestiis, sed fæminas nominibus tantum his insignitas, curam illorum habuisse, prout id potissimum probant de nutrice *Romuli* & *Remi*, quam *Accam Laurentiam* nominatam, uxorem *Faustuli* pastoris fuisse perhibent, *lupæ* verò titulum acquisivisse propter quæstum corporis. Similiter de nutrice *Jovis* referunt, non capram, sed filiam *Hermioni* Attalorum Regis, *Amaltheam* dictam extitisse, confer. *Plinius*, *Livius*, & *Natalis Comes Mytholog.* cap. 2. Lib. VII.

## §. XXV.

Ne igitur cum larvis pugnare deprehendar, alia adducam exempla, refert *Diodorus* Lib. II. de Cæsarib. Tiberii Neronis Imperatoris nutrice, eam multibibam fuisse; & ejus Antecessoris *Caligulae*, nutriculam, quò promptè arriperet pusio in mammas, sanguine illinire eas, in consuetudine habuisse: unde factum, ut primus insatiabili bibendi appetentia, per univerlam laborarit vitam, adeò ut frequenter à Romanis non *Tiberius Nero*, sed *Biberius Mero* di-ctus fuerit. Alter verò tam sævus & ferox extiterit, ut non multa solum homicidia, propriâ patrârit manu, verùm aliquandò optarit, ut toti humano generi unicum esset collum, maxima enim cum voluptate illud se præcisurum. Quid quod *Helmontius* testetur, Tract. de Infant. Nutrit. pag. 622. se observasse saepius salaces, fur-tivas, avaras, iracundas, aliisque perversis moribus præditas, in lactentes infantes deduxisse pravos hos mores. Et quid multa! tota dies asserti hujus veritatem tristem comprobat, dum miseri pa-rentes

rentes, non sine sūlpīriis & lachrymis in filiis & filiabus corruptissimos *animos* deprehendunt, à *nurricibns* in illos derivatos. Adeò ut nulla ulterius adducere exempla necessum putem, quæ alías facile etiam ex *brutis* peti possent, quorum ferocia mutatur cum mansuetudine, & versa vice mansuetudo cum ferocia unice, ex lactis diversi usu, in educatione adhibito.

## §. XXVI.

Suntimō igitur cum studiō in feligendā matrice ejus *animi mores* observandi sunt. Et licet non exactè ad regulas moralistarum sint formati, quod vix in hac mortalitate expectandum: sat tamen erit, si modò frēna injicere animi insultibus valeant, nec nimis prone sint in admittendis pathematibus, nec perseverantes in illis. Imprimis verò est necessum, sint patientes & mansuetæ; non enim leve opus est, per unius anni ad minimum spatiū, unicè penè inhärere *Lactationi* ac *nutritioni* infantis. Omnia enim decenter, & suo ordine absolvenda sunt, si munere demandato cum laude fungi velint. *Initium* certè lactationis res est laboris & patientiæ multæ, nam stupidus pusio, sàpè difficulter apprehendere incipit mammæ, hinc opus habebit nutrix vel *Colostrum*, si puerpera fuit, sapore ingratum prius emulgere: aut alieno lacte, vel *amygdalino*, aut quodam *syrupo*, areolas illinire, aut comprimendo *papillas*, osculo ejus lac instillare, ut sc. *sensu* discat, istis ex collibus prodire fluidum, quod sitim famemque cum gratiâ lenire possit. Deindè patientiæ opus habebit in progressu, frequenter enim mammæ exhibendæ sunt infantibus primis à partu mensibus, sc. omnibus *biboriis*, post tres verò, vel quatuor menses, *sexies* aut *septies*, postmodùm verò bis vel ter, singulis nycthemeris. Et quis enarrabit molestias cunctas, quas devorare cogitur, dùm *papillarum fissuras*, ex suctione forti, pati cogitur, vel pultem ori infantis indere, aut eum à *sordibus* purgare, cunas pro provocando somno motitare, aliisque sexcentis muniis ad curam recens natorum necessariis præesse.

## §. XXVII.

Postmodùm & *animi Pathemata* alia coercere discat, certissimum enim est, nil magis nocere lacti, quam furiosam & Erynni-

*cam intemperiem, seu ut clariū loquar, excandescētiam & vehe-  
mentem ab irā animi Humorum & commotionem.* Subitō enim  
corruptitur nobilis iste liquor, ut penitus ejus texturam inversam,  
& ex alimento in venenum mutatam deprehendas. Paulò enim  
pōst, *tormina ventris, Agrypnia, Inquietudo, imo & Epilepsia* ut  
plurimū seqvuntur. Dico ut plurimū, nam rarissimis exem-  
plis annumerari debet, si forsitan lac tale non noceat, qualem nu-  
tricem conductam, ipse novi, quotidianis iisque enormissimis ex-  
candescētiis, minimè tamen lac suum corruptentem: Nisi fortē  
*satiatio irae* huic magis profuit, daß sie den Zorn ausgelassen.

## §. XXIX.

Fugiat etiam *mærorem* tristemve severitatem, cùm inde lac  
*coaguletur & inspissetur.* Omnia verò maximè *Terrori* resistat,  
cùm, quò magis vehemens iste fuerit animi motus, eò major tristi-  
orque imprimatur inde lacti effectus, & maximè *pavoribus & Epi-  
lepticis motibus* exponat Infantes. Quoniam verò vix inter morta-  
les ullus reperitur, qui horrida objecta, ex improvisō oblata animo  
tranquillo & placido excipere possit, ferenda quidem & excusanda  
hæc animi imbecillitas est, modò id observetur, ne prius exhibeat  
fugendas mammas, quām ad minimum spatium quatuor vel quin-  
que horarum emensum sit, *omneq; lac*, quod tempore terroris ine-  
rat jamjam mammis, vel à cane juniore, aut aliis instrumentis, aut  
sollicità expressione, fuerit evacuatum, simulq; remedium, coagu-  
latum lac resolvens, adhibitum, & assumptum fuerit.

## §. XXIX.

Ulterius commendatam sibi habeat *temperantiam*, sive in  
assumendis alimentis, sive in *aeris* admissione. In *assumendis* ea-  
propter fugiat ceu angvem, copiosa *acida, acetaria putà, brasifi-  
cam muriaticam, vina acida &c.* imo & facile acescentia v.g. *dul-  
cia & mellita*; concrescit enim ab illis lac & in coagulum abit,  
summè postmodùm infantibus noxium, dum corruptit & præci-  
pit at *caseosas* partes à *butyraceis*, roditque sèpè satis importunè  
infantum interanea. Quod ultimum contingit quoque, si nimium  
*salitis*, fumoque induratis delectetur, aut *acrimoniam* quandam  
in se habentibus, quorsum in specie spectat *raphanus rusticanus*,

à cuius esu semper *tormina* & *inflationes* infantibus esse natas observavimus. Eadem quoque ratione *frigidus potus*, imò *frigidæ deambulationes nudis pedibus, denudationes brachiorum, mammarum, &c.* *tenerioribus* infantibus præsentissimè infecta observantur.

## §. XXX.

Circa aerem enim observatur, temperiem lactis alterari notabiliter in matribus, tām à nimia ejus *caliditate* quām *frigiditate*. Non ita pridem ipse id annotavi in quadam conducta nutrice, quæ utut turgidissimas à lacte haberet mammas, omne tamē amississe penitus, postquām pro abluendo corpore per bihorium *caldarium* occupasset cellam. *Frigus* verò liberè ad mammas admissum, non solum *repellendo* inhibet notabiliter secretionem lactis, sed quoque *coagulando*, aut si mavis *congruescendo*, fluidi hujus texturam lædit enormiter, hinc pessimè sibi, alumnisq; suis consulunt eæ nutriculæ, quæ ex petulantia vel incuria nudatas mammas gerunt, aut saltem dūm lactant, diutiū aspero cœlo ac frigido exponunt.

## §. XXXI.

Ultimò omnium decet nutricem temperantia in Venere. Quamobrem verò ultimo loco hanc virtutem postulem non est, ac si hanc animi moderationem non adeò necessariam putem ac reliquas recensitas, quin potius eam primo loco inter omnes ponendam existimem. Sub hac temperantia in Veneris opere volo, non solum concubitum, s. ab ipso imprægnentur nutrices nec ne, verùm quoque desiderium & *orgasmum* venereum, qui æque imò sæpè magis adhuc nocivus est, quām ipse repetitus congressus. Adeoque insufficiens color iste mihi videtur, quō quædam matres, lactationi natorum se subducentes, factum hoc incrustare solent, quod scil. id faciant, ne cùm ad illa officia conjugali lege invitentur, ab illa consuetudine cum viro, quam vix evitari posse dicunt, lactis temperiem immutent. Quasi sc. fœminæ haud nuptæ, venereis furii agitatæ, etiam citra cohabitationem viri non æque corrumpant liquorem hunc nutritium? Et quid ni corruperint illum solis lascivis cogitationibus aliisque similibus actionibus, cùm fluxus mensium mōdō præter morem solennem accidens

nutri-

nutribus, enormiter statim bonitatem lactis hædat, & ad vociferationes, inquietudines, pluraque alia symptomata disponat tenelulos: observantur verò præcipue paulò *teneriores* infantes, post actum matris lactantis talem, non solum *languescere* atque *inquietudine* affici, sed etiam lac ferè *revomere*.

## §. XXXII.

Sic proinde mores observandi sunt in nutricum delectu. Sed habenda quoque est ratio corporis, ejusque constitutionis in illis. Repudientur igitur nutrices *valetudinariæ*, adhuc manifestis *morbis* laborantes, sive sint ex classe illorum, quibus spiritus, vel solidæ, aut fluidæ partes, vel omnes simul, subinde laborant. Cùm enim œconomia totius corporis turbata plus minus in illis reperiatur, non aliud nisi notabiliter vitiatum lac secerni & reddi isthac in statu potest. Imò ne *senescentes* solum, licet de cœtero satis vegetæ & sanæ nutrices, provinciæ huic cum laude præesse posse firmiter mihi persuasum habeo, cùm naturale corporis decrementum in his succos laudabiles non videatur polliceri, hinc observatum est etiam à quibusdam, infantes à talibus enutritos, maturius exolescere, & corpora illorum toto vitæ decursu imbecillia admodum remanere. Conf. *Weinrich de Ort. Monstr. c. 15.*

## §. XXXIII.

Antè omnia verò in hodiernâ non magis *morum* quam *Corporum* Epidemiâ corruptione, benè cavendum, ne Nutrices, demeriticum censu communiter petendæ, *Venerea Luis* inquinamenta Corpori suo immersa gerant, eaque miseric infantibus affrident. Cujus generis, ut profectò non ita rara sunt specimina, ita meminit præcipue unius *D. Praeses*, ubi *puellula*, *militaris prostituli* lacte in infantâ aliquandiu sustentata, satis sana atque vegeta apparuit, ad *septimum* usque annum: ubi derepente hinc inde in partibus, carnosis æquè atque tendinoso-osseis, pluribus *steatomatibus* correpta, post multa remedia, imò ipsam *Salivationem*, bis & diu repetitam, denique tamen *hectica* interiit, *steatomatibus* non persanatis. Neque verò scurbiticis manifestioribus, & quidem strictè talibus, impuritatibus, onerata sit: A quali similiter nutritum *nobilem Infantem* vidit *D. Praeses*, qui ita à cunis usque exquisi-

sitissimè *Scorbuticus*, perpetuis *maculis violaceis*, imò *cerasi acidi* colore nigricantibus, & *latitudinem mediocris cerasi æquantibus*, obseßus, membris *distortus*, dentibus partim *nigris*, partim *elapsis*, *mutus*, & *simia* vetulæ, quām *homini similior*, vixit ad *undecimum usque ætatis annum quo tamen ulnae unius cum uno quadrante, longitudinem, vix excessit, & denique mortuus est.* Quæ exempla sanè cautionem suadent.

## §. XXXIII.

Sed satis hæc dicta sunt de *Notis Nutricis Bonæ* in genere. Binis nunc verbis, antequām finem huic labori imponam, in animo quoque habeo, adjicere specialia requisita, de earum respectu hujus scilicet vel illius infantis. Ut enim non omni pedi omnis calceus adaptatur, aut omnis arbor omni terræ inseri potest, sic absurdissimum est quamvis nutricem cuivis infanti nutriendo dare. Sed requiritur, ut corpusculo ejusque texturæ teneræ & molliori respondeat lac suppeditatum. Sunt igitur non pauci Medicorum, qui ea propter summopere urgent, ut ipsa mater in se suscipiat hoc officium, aut quod ab antiquis Alzarrhavius, inter Arabes Medicos facile Princeps, in libro *Theoricæ & Practicæ Tract.* 26. cap. 3. svadet, ut nutrix sit ex necessariis & cognatis puerperæ, tale enim solum, non aliud, nutrimentum, conforme esse texturæ corporis infantum putant. Nihilominus cùm non omni tempore consilia hæcce locum inyeniant, sed innumera reperiantur obſtacula, quæ nec ipsas puerperas, nec sanguine junctas admittant subinde, satis erit, modò nutrix adhibeatur quæ non à longō tempore peperit.

## §. XXXIV.

Nam *serosum* tale fluidum, quod ex mammis harum provenire solet, apprimè convenit *etati* huic ratione aquosarum juxta ac salinarum particularum intùs conclusarum; utpotè à quibus faburra illa, ex atro viridicans, quæ communiter *Meconii* titulo *solutatur*, & penè ex toto intestina recens in lucem editorum, infarcire solet, ad excretionem feliciter disponitur. Quod si tamen non impetrari potest nuper facta puerpera, sufficiet, selegisse nutricem, cujus lac moderate *tenue fluidumque* possideat temperamentum. Excoctum etenim magis crassumque & spissum, haud conve-

convenit recens natis primo haustu, parit enim *obstructiones alvi, inflationes abdominalis, suffocationes*, sàpèq; mortem, cùm nullo modo viscera hæc tenerima, ferre possint *nimis nutritivum* hujus modi lac. Consultum est, ut tales nutrices largius bibant.

### §. XXXV.

Non inconsultum quoque est, annotante Pechlino, *Obs. Physico-Medic. pag. 108.* habitum corporis etiam in nutricibus observare, nùm sc. iste respondeat *germanæ matri*, si enim similia, quoad partem maximam, h. e. conformatiōnem & magnitudinem adsint membra, aut partes transcolationibus inservientes, non adeò inconvenient in se ratione texturæ humores in illis secreti, hinc si juncea, teneræ & delicatulæ fuerint puerperæ, elegantur quoque similes nutriculæ; si verò robustæ, habitiores & obesæ fuerint matres, convenient quoque nutrices tali habitu præditæ. An etiam quoad faciei criniumque colorem, uti aliqui putant, harmonia matris & nutricis requiratur, non facile dixerim, quemadmodum nec nutrices, *capillis ruffis ornatas*, penitus ineptas esse ad hæc officia subeunda, credo, uti Mauriceau Tr. von Krancheit der Schwangern p. m. 395. docere non erubescit. Ratio enim ejus, quod nempè *nimis calido* præditæ sunt temperamento tales, est petitio principii. Nisi igitur graviora adsint impedimenta, sententiam tam rigorosam misellæ hæ non videntur mereri. Magis notatu dignum illud nutricis bonæ requisitum mihi videtur, quod idem Autor c. l. adjicit circa sermonem ejus, ut nempè vox sit svavis & articulata, infinita enim ad sunt testimonia, corruptam ab initio *loquelam* in infantibus esse à *Balbutie, Blæfitate*, alioque nutricum *linguae* vitio, sic ut in sequentibus temporibus, vix & ne vix quidem, maxima licet adhibita diligenzia, potuerint emendari.

### §. XXXVI.

Hæc dixisse de Requisitis Bonæ Nutricis sufficiat. Ergò vela contrahentes,

Tendendo ad portum superatas linquimus undas.

Prins tamen quam id fiat, DEO Ter Optimo Terq; Maximo, pro viribus concessis laudem decernimus gloriamq; decentem.

## COROLLARIUM.

**F**Rustra esse in Podagra Topicorum usum, quia vel stupefaciant tantum, vel repellant materiam, vulgo solet jactari, neque refragor quidem, circa plurima hujus generis remedia Experientiae tristi. Sed si magis eventilent, & quasi ad exhalationem promovent acrem materiam, abbreviant & tollunt tunc Paroxysmum cum euphoria. Hujus certè efficacie prostat mihi Liquor Antipodagricus præstantissimus externè adhibendus, quamvis & internè cum frumento usurpandus, qui dolorem omnem & Paroxysmum intra 18 vel ad summum 24 horas tollit cum euphoriam, neq; repellit, neq; aliud incommodum causatur: tollit quidem modò paroxysmum, sed si recurrente illò sèpius adhibetur, etiam potens est causam destruere immediatam, virtute suā intrinsecā huic causæ contrariā, præpannis si causæ occasioñales, quantum fieri potest, evitentur; Hujus liquoris vix datur similis, & paucis hucusq; notus, de cuius tamen virtute celeberrimā testatur Experientia multivariorum, ut & agrotantes, hoc morbo laborantes, non pauci.

---

**A**D Laurum Medicam dum doctus & arte peritus Adspiras, satis est, HALA, LICEBIT, ait. Gratulor, & multos fructus precor arte medendi Edas, & contrà commoda multa feras.

Clariss. Dn. Candid. scripsit axicā manu

PRÆSES.

---

**L**Ipsia te docuit: clarissima te Hala coronat: Gratatur studii præmia uterque locus.

*l. mg; apposuit*

D. MARTINUS FRIDERICUS Friesel  
Prof. P. & Facult. Medicæ Decanus.

---

**H**OLLIUS haut vacuus; plenus virtutis honore:  
Fortuna Medicus plenus inusq; siet.

*Hollio suo πολυφιλτάτῳ f.*

HEINRICUS ELIAS Hundertmarck  
Med.D. & Civit. Zicensis Physicus.

